

OTTO PRAESVL CONSTANTIENSIS.



Otto ille Saxo in sacris literis vir fuit doctissimus, atque magna pietate praeditus. Itaque apud Goslarienses primo canonicus factus est. Postea autem cum virtutes eius omnibus innotescerent, anno millesimo septuagesimo primo Constantiensis episcopus electus fuit. Eo autem tempore graues contentiones inter Heinricum quartum Imperatorem & Hildebrandum Pontificem, quem Gregorium septimum dicunt, ortae erant, ita ut Imperator dum iura imperij tueretur a Pontifice excommunicaretur. Itaque Otto rei indignitate commotus, Cæsarem suis scriptis defendit, & Pontificem impietatis arguit. Interea Pontifex ut Ecclesiæ bona passim attraheret, sacerdotum matrimonia in publica Synodo Romana sustulit, atque sacerdotes maritos suis beneficijs priuauit.